PROGRAM

des

. Kleinseitner Gymnasi

zu

Prag

am Schluße des Schuljahres

1867.

Herausgegeben
von dem
k. k. Direktor des Gymnasiums,
J. U. Dr. Matthias Kawka.



Aus der Druckerei der k. k. Schulbücherverlags-Verwaltung für Böhmen.

Inhalt:

De animi immortalitate

quae decreta et praecepta Cicero tradidit, collecta philosophi ipsius, quam maxime fieri potuit, verbis ad viam quandam et rationem revocabat

Jos. Walter.

Quodsi in hoc erro, qui animos hominum immortales esse credam, lubenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo.

De Senect. 23, 86.

Animi immortalitas

mortem consequetur *) Cat. maj. 20, 73.

Ad quam sententiam auctoribus uti optimis possumus, et quidem omni antiquitate, quae quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat. Itaque unum illud erat insitum priscis, esse in morte sensum neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret. Idque quum multis aliis rebus, tum e pontificio jure et e ceremoniis sepulcrorum intelligi licet, quas maximis ingeniis praediti nec tanta cura coluissent aut tam multas tamque varias posteris tradidissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, [1] nisi cognitum perspectumque habuissent, vigere animum in morte nec, quamquam corpus occidat, hominem ipsum penitus evanescere. Itaque statuisse videntur, mortem ipsam non esse humanae vitae confectricem nec ex ea sequi interitum; sed potius ad aliam multo feliciorem vitam iis, qui recte vixissent, ducem optimam solere exsistere. [2] Ut porro firmissimum hoc adferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio: — multi de Diis prave sentiunt (id enim vitioso more effici solet), omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur; nec vero id collocutio hominum aut consensus effecit, non institutis opinio est confirmata, non legibus; omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est — quis est igitur, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur? [1])

Atque haec ita sentimus *natura duce, nulla ratione nullaque doctrina;* [2]) *haeret enim in mentibus,* mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quasi migrationem commutationemque vitae. [3]) Neque vero haec ita disputanda censeo, ut animos idcirco non interire probari possit, quod mortuorum corporibus vis quaedam inesse veneratione digna putetur, quae significare debeat, non deleri morte animos, sed immortalium animorum veluti sepulcra quaedam mortalia corpora fuisse; quasi non et majora et firmiora multa suppetant, quibus

*) Locis, quos e Consolatione, Ciceroni adscripta — certe quidem Consolationem aliquam se conscripsisse ipse affirmat (de Divin. II. c. 1.) — sumpsimus, his igitur locis laudandis librum, qui inscribitur: „M. T. Ciceronis opera philosophica. Ad exemplar Londinense edita. Berolini, 1745. Sumtibus Ambrosii Haude. Bibliop. Reg. et Acad. scient. privil.“ ita adhibuimus, ut numerus libri paginam, litera „a“ sinistram cujusque paginae columnam denotet, litera „b“ dexteram.

[1]) Tusc. I., 12, 27; Cons. pag. 572 a.

[2]) Cons. pag. 571 b, sq. Lael. 4, 13.

[1]) Tusc. I. 13, 30 et I, 16, 36. legg. I, 8, 24.

[2]) Tusc. I, 13, 30.

[3]) Tusc. I, 12, 27.

planum fieri possit, qui animos simul cum corporibus interire contendat, eum contra rationem, nulla nixum ratione, pugnare. [1]) Quodsi argumentum quaerendum sit, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, illud maximum est, quod *omnibus curae sunt et maximae quidem*, *quae post mortem futura sint.* [2]) Quibus ex cogitationibus atque operibus nihil aliud, nisi *divinos esse illos et sempiternos* colligere possumus; nam si aedificiorum magnitudinem atque ornatum, si monumenta literarum, si pecuniae vim infinitam in res maxime stabiles et admirandas effusam, si plurimarum maximarumque rerum adeptionem cogitare voluerimus: profecto intelligemus, haec nunquam facturum fuisse hominem, nisi *diuturnitatem temporis ipsamque aeternitatem plurimum ad se pertinere existimaret.* [3]) — Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptationes filiorum, quid testamentorum diligentia, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? Quid illud? num dubitas, quin specimen naturae capi deceat ex optima quaque natura? quae est melior igitur in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur? [4]) Nemo mihi unquam persuadebit, aut patrem Scipionis Paullum aut duos avos, Paullum et Africanum, aut Africani patrem aut patruum aut multos praestantes viros tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere. An censes, Catonem tantos labores diurnosque nocturnosque domi militiaeque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam suam, quibus vitam, esset terminaturus? Nonne multo melius fuisset, otiosam aetatem et quietem sine ullo labore aut contentione traducere? Sed nescio quomodo animus erigens se posteritatem ita semper prospiciebat, quasi quum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalitatem gloriae niteretur. [5]) Quid vero in hac republica tot tantosque viros, ob rempublicam interfectos, cogitasse arbitramur? iisdemne ut finibus nomen suum, quibus vita, terminaretur? *Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem.* Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae, licuit, ne et vetera et externa quaeram, mihi; sed *inhaeret in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum* idque in maximis ingeniis altissimisque animis et exsistit maxime et apparet facillime. Quo quidem dempto quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret? Loquor de principibus; quid poëtae? Nonne post mortem nobilitari volunt? unde ergo illud? . . . Etiam opifices post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervae, quum inscribere non liceret? Quid nostri philosophi? nonne in iis libris ipsis, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? *Quodsi omnium consensus naturae vox est omnesque, qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vitâ excesserint: nobis quoque idem existimandum est.* [1]) Nam ipsa gloriae cupiditas, honorum sitis, opum ac divitiarum assidua procuratio quid aliud indicat, nisi cogitare hominem in posterum nec eodem vescendi vivendique studio, quo caeteras animantes duci videmus, humanum animum detineri.

Sed haec abjectiora atque humiliora nec ullis, nisi sane angustis naturae terminis, circumscripta. Quid illa in primis gravia atque praestantia nec ulli plane in terris degenti, nisi *soli homini tributa? contemplatorem esse ipsum coeli rerumque coelestium*, *frui magnarum obscurissimarumque rerum scientiâ*, *quae vel ad excolendos ad integritatem atque innocentiam mores*, *vel ad comparandam solis astrorumque cognitionem*, *vel ad exercendam in abditis obscurisque rebus memoriam mentemque pertineant: nonne haec ipsa tanta ac talia divinum esse animum ostendunt nec illius naturam aliunde, quam e coelo delibatam ac deductam*, [2]) *divinaeque mentis eum* esse non solum munus, sed etiam partem praecipuam ac propriam? quod si secus esse quisquam putet, haud sane facile, quid multis et firmissimis in hanc sententiam argumentis respondere possit, inveniet. Sic enim plane cognosci ac sensu ipso dijudicari potest: *summam esse paeneque incredibilem in animis celeritatem ac festinationem*, cujus ope, quae corpus non modo certo mensium, sed vix etiam annorum spatio perficere atque exsequi posset,

[1]) Consol. pag. 570 a.
[2]) Tusc. I, 14, 31.
[3]) Consol. pag. 570 b.
[4]) Tusc. I, 12, 31. 32.
[5]) Cato maj. 23, 82.

[1]) Tusc. I, 15. 32—35. et ibid. I, 38, 91.
[2]) Consol. pag. 571 b.

ea ipsi non modo semel puncto temporis percurrere, sed etiam saepius excogitare et repetere facillime queant. Quod si mirum videtur, cur non admirabilius censeatur, meminisse animum tam multa, innumerabilibus ante saeculis gesta; quae futura sunt, cogitando prospicere *ac non modo praesentia, sed etiam praeterita et futura, veluti deum, omnia complecti ac sub oculos subjicere conari?* quis dubitet, cum haec intelligat eademque in se ipso cognoscat, *divinum esse animum nec, si divina aeterna sunt, ipsum esse mortalem?* cum praesertim duabus ex rebus, quae praecipuae in animo sunt, illius aeterna natura facile intelligi ac deprehendi possit: haec autem sunt, *motus*, qui in eo praecipuus est, *principium ac perpetuitas.* [1]) *Quod enim semper movetur, aeternum est;* quod autem motum affert alicui quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur, quod se ipsum movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit, quin etiam caeteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principio autem nulla est origo. Nam e principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest; nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur nec ex se aliud creabit, si quidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, ut *motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur; id autem nec nasci potest, nec mori;* vel concidat omne coelum omnisque natura consistat necesse est nec vim ullam nanciscatur, qua a primo impulsa moveatur. Quum pateat igitur aeternum id esse, quod se ipsum moveat, quis est, qui *hanc naturam animis esse tributam neget?* Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo. Nam haec est propria natura atque vis, quae si est una ex omnibus, quae se ipsa semper moveat, neque *nata certe est et aeterna est.* [2]) Cum igitur animus ex se ipso moveatur nec aliunde, ut caetera, principium motus mutuetur, summa autem in eo, quamdiu in corpore est, perpetuitas motus appareat, quippe quae etiam in dormientibus agnoscatur et vigeat: idcirco dubitari nullo modo potest, quin *divinus sit et sempiternus futurus;* et sane ita esse ratio vincit et rerum probat exitus. *Dei enim imago quaedam animus est, ex ipso Deo delibata ac profecta;* quod si Deus immortalitate fruitur, cur eam partem, quam ex se ipso sumsit, mortalem esse velit? quin hoc ipso singularem et eximiam divinam esse vim indicandum putavit, quod non solum ipse immortalis sit, sed etiam, quos velit, suae naturae compotes et plane immortales efficiat. [1]) Singularis est ergo quaedam natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, *quod sapit, quod vult, quod viget, coeleste et divinum est ob eamque rem aeternum sit necesse est.* Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens ipsaque praedita motu sempiterno; itaque eandem aeternitatem animis quoque nostris ex se ipsa exortis impertivit. [2])

[1]) Cons. pag. 570 b.
[2]) Scip. somn. c. 8, 9. Tusc. I. 23, 53—55.

At incredibilis est animorum immortalitas! neque enim qualis animus sit vacuus corpore, intelligi potest. Quasi vero intelligant homines, qualis sit in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus; ut, si jam possent in homine vivo cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus, an tanta sit ejus tenuitas, ut fugiat aciem? Mentem autem hominis, quamvis eam non videas, ut Deum non vides, tamen, ut Deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum et inventione et celeritate motus omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis agnoscito. [3]) Haec reputent isti, qui negent, animum sine corpore se intelligere posse: videbunt, quem in ipso corpore intelligant. *Mihi quidem naturam animi intuenti multo difficilior occurrit cogitatio multoque obscurior, qualis animus coelestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinae naturae aeternitatique contrarium,* [4]) *in corpore sit tamquam alienae domi, quam qualis, quum exierit et in liberum coelum quasi domum suam venerit.* [5])

[1]) Consol. pag. 570 b.
[2]) Cons. pag. 571 a.
[3]) Tusc. I, 22, 50 et 1, 28, 70.
[4]) Cato maj. 21, 77.
[5]) Tusc. I, 22, 51.

Neque vero ex iis solum, quae dicta sunt, intelligitur, animum non simul cum homine interire tantumque mentis lumen e divina natura delibatum posse exstingui, sed potius certo tempore emenso ad immortalitatem redire [1]), verum etiam tribus aliis inducimur causis, ut de immortalitate animi vim et naturam intuentibus nobis persuadeatur.

Ac primum quidem *omnes incredibili cupiditate beate vivendi incensi sumus* [2]). Videamus, qui sint dicendi beati. Ii vero, qui sunt in bonis, nullo adjuncto malo; neque ulla alia huic verbo, quum beatum dicimus, subjecta notio est, nisi secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio; [3]) nam omnia, quae sumenda quaeque legenda aut optanda sunt, inesse debent in summa bonorum, ut is, qui eam adeptus sit, nihil praeterea desideret. [4]) Volumus enim eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, saeptum atque munitum, non ut parvo metu praeditus sit, sed ut nullo. [5]) — At quid habet vita commodi? quid non potius laboris? [6]) si quidem nemo reperitur, qui non modo miserias atque aerumnas ab humana vita segregare, sed ne semihoram quidem felicem sibi ac beatam polliceri possit. [7]) Fac nasci hominem et in lucem edi; continuo senties, non rerum humanarum dominum et gubernatorem exortum, sed verius miseriarum servum atque incommodorum scelerumque luendorum causâ natum; nam infantiam et pueritiam vagitus, lacrymae, imbecillitas, nullus nec rationis, nec corporis usus, dolores molestiaeque quam plurimae amplectuntur. Adolescentiam ardor quidam excipit aetatis nec prudentiae, nec judicii compos; rerum utilium ac laudabilium contemtio, voluptatis et saepe turpitudinis appetitio, veri boni ignoratio, in pares ferocia, in superiores superbia, in infimos arrogantia; ex his contentiones, rixae, contumeliae, assiduus denique molestiarum concursus exsistit, ex rebus honestis contemtis infelicitas et infamia, ex turpibus curiose arreptis et conquisitis luctus, morbi, perpetuum denique sui ipsius odium, ex cognita rerum turpium mercede conflatum. Adde insanas pecuniarum largitiones, nullam futuri temporis curam, non inopiae, non liberorum, non uxoris, non posterorum, non familiae: quae si quis aetatis potius vitia, quam naturae miserias velit appellare, quamquam nominis quaestionem inducat, non tamen ipsas ab homine miserias atque incommoda removebit. Nec vero audiendus erit, qui haec ab humanae naturae miseriis separanda putet, quod non in natura insita sint, sed unius, vel aliquorum hominum errores videantur, totius autem naturae illa esse affirmet, quae a nullo prorsus homine sejungi possint. Iam constantis aetatis quot quantaeque miseriae sint, non difficile est intelligere, at difficillimum enumerare: haec enim ex omnibus hominis aetatibus in perturbationes animi, in pericula capitis, famae, fortunarum una maxime incurrit; sicut enim caeterarum omnium aetatum ad res negotiaque tum privata, tum publica peragenda aptissima est maximeque idonea: ita una prae caeteris omnibus difficultatum miseriarumque omnium, quae ex publica privataque administratione oriuntur, particeps et socia est: haec privata amicorum negotia procurat, haec publica sustinet munera, haec gloriam et commodum ex rebus feliciter evenientibus, haec aerumnas, et molestias ex adversis experitur; huic bonorum civium propugnatio, huic malorum accusatio proposita est, huic invidia et aemulatio a bonis imminent, a malis pericula et insidiae intenduntur; aetas nunquam sibi ipsi non infesta, nunquam pacata, semper laboriosa, semper anxia et sollicita, quae si non aliquos interdum vel utilitatis, vel voluptatis fructus ex assiduo labore perciperet, se ipsam profecto regere ac tueri non posset. Nunc quae extrema de aetatibus superest, quid ego de senectutis incommodis ac miseriis loquar? quas plurimas esse et gravissimas et nomen ipsum, languoris calamitatisque plenissimum indicat et adspectus ipse senum hominum patefacit; quid est enim aliud senem videre trementem, incurvum, canum, imbecillum, infirmum, quam cernere morientem vivum aut viventem mortuum? Ac si nonnullis visum est, magnam esse senilis aetatis consolationem prudentiam usu rerum quaesitam, quae illius aetatis propria est, eosdem illos fateri oportet, ex eo ipso fonte manare etiam ad senes non minimum doloris atque molestiae; qui enim se prudentem rerumque agendarum peritum agnoscit, cur non doleat, quae optime intelligit, prae aetatis vitio optime etiam perficere non posse? et si patriam diligit, cur non angatur, quod, quam consilio juvat, operâ etiam juvare non possit? eoque major prudentium dolor est, quod

[1]) Cons. 557 a.
[2]) Fin. 5. 27. 86.
[3]) Tusc. V, 10, 28, 29.
[4]) Fin. 4, 17, 46. cf. Parad. 1, 2, 3; fin. 5, 28, 83. Tusc. 5. 28, 80 sqq.
[5]) Tusc. V. 14, 40, 41.
[6]) Cato maj. 23. 84.
[7]) Cons. pag. 564 a.

optimorum consiliorum fructum nulla alia ratione percipi posse, quam si optime ad exitum perducantur, intelligant; quod nisi vir optimus patriaeque amantissimus ad agendum accedat, prorsus inania sint futura [1]. — De aetatibus satis mihi videor dixisse, tantam esse humanae naturae miseriam, ut neque genus ipsum hominum nec e toto genere singuli miseriarum expertes esse possint; quod eo magis mirandum est, quod non iis solum malis, quibus hominis natura assidue affligitur, mala nostra praescripta sunt, sed ipsi nos, quantum in nobis est, miseriores quotidie reddere conamur. Nullum enim aliud in toto terrarum orbe genus animantium reperias praeter unum hominem, quod in proprium genus atque in se ipsum saevitiam exerceat suam; meritoque Dicaearchus in eo libro, quem de hominis interitu luculentum et eruditum conscripsit, nihil habere dubitationis putavit, quin multo plures exstincti sint homines ipsa hominum saevitia et acerbitate, quam omni reliquo genere calamitatis: tanta est enim in permultis avaritia, tantum ambitionis, imperii, divitiarum studium, ut explendae cupiditatis gratiâ nihil sibi non licere putent. Atque hoc malum non jam angustis finibus compressum videmus, sed superioribus saeculis erupisse vehementer et manasse latius; non enim certum aliquem hominum numerum, sed regna ipsa et totas persaepe funditus sustulit civitates. — At, si ad singulos homines mentem cogitationemque converteris, ne in iis quidem quidquam reperies, quod valde appetere aut approbare possis. Finge enim animo, quidquid homini felix aut beatum ex opinione vulgari possit in vita contingere: congerantur divitiae, bona valetudo, honores, potentia, etiam voluptates accedant — cum haec omnia in hominem contuleris, nihil tamen tribueris stabile aut firmum, nihil, quod non repentinam et assiduam pati mutationem possit; *caduca enim et incerta sunt omnia*, non in humanis consiliis aut viribus posita, sed in fortunae temeritate ac temporum vicissitudine constituta; quid autem homini turpius, quam e temporis ac fortunae mutatione pendere et secundo illius flatu sublevari, reflatu deprimi et affligi? aut laetis rerum eventis gloriari, adversis lugere nec lacrymis temperare posse? [2]) — Ista vero sit vita beata, quam quidem unam omnes homines expetunt? Quis enim confidit semper sibi illud stabile et firmum

[1]) Consol. 547. a — 548 b.
[2]) Cons. 556 a. et b.

permansurum, quod fragile et caducum sit? qui autem diffidet perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est, ne aliquando amissis illis sit miser; beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest: *nemo igitur esse beatus potest; neque enim in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis vita beata duci solet neque appellatur omnino vita beata, nisi confecta atque absoluta, nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser: qui enim existimabit posse se miserum esse, beatus non erit.* [1])

Ergo illud quidem apparet, *quamdiu in hac turba et colluvione versemur*, *insatiabilem beate vivendi cupiditatem explere posse neminem.* Consideremus vero ex altera parte hominis naturam, in qua sit *mirabilis quaedam vis rationis et cognitionis et scientiae virtutumque omnium* [2]): Ac primum quidem tantus est innatus in nobis cognitionis amor et insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur [3]) et animus nihil non agere possit, quin etiam in dormientibus vigeat. [4]) Videmusne, ut conquiescere ne infantes quidem possint? [5]) ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur, ut pulsi requirant et aliquid scire se gaudeant, ut aliis narrare gestiant, ut pompa, ludis atque ejusmodi spectaculis teneantur ob eamque rem vel famem et sitim perferant? [6]) quin etiam inertissimos homines nescio qua singulari nequitia praeditos videmus tamen aut quaerere quempiam ludum aut sermonem aliquem requirere. [7]) Quid vero? qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem omniaque perpeti ipsa cognitione et scientia captos, etiamsi incommoda datura sit? [8]) Itaque *duci majorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae summorum virorum est putandum.* [9]) Quem enim ardorem studii censetis fuisse in Archimede, qui, dum in pulvere

[1]) Fin. 2, 27, 86 sq.
[2]) Fin. 5. 12, 34.
[3]) Fin. 5, 18, 48 sqq. 5, 20, 55 sqq. Tusc. 1, 19, 44. 50. 53; Fin. 4, 2, 4; 1, 1, 2; 3, 11, 37.
[4]) Off. 2, 1, 4; Fin. 5, 20, 55. Divin. 1, 2; 1, 63.
[5]) Fin. 5, 19, 56.
[6]) Fin. 5. c. 18 et 19; 3, 5, 17.
[7]) Fin. 5, 20, 56.
[8]) Fin. 5, 18, 48.
[9]) Fin. 5, c. 18 extr.

quaedam describit attentius, ne patriam quidem captam senserit? quid de Pythagora, quid de Platone aut Democrito loquar? a quibus propter discendi cupiditatem videmus ultimas barbarorum terras pedibus esse peragratas? maria transmissa? [1]) Ac tantum abest, ut voluptates consectemur: etiam curas, sollicitudines, vigilias contra naturam perferimus, nec voluptates requirentes nec fugientes laborem. [2]) Quid vero? quod Democritus quaerens beatam vitam oculis se privasse dicitur? certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos. [3]) Inest enim insatiabilis quaedam e rebus cognoscendis voluptas, *in quâ una honeste ac liberaliter possumus vivere.* [4]) Ex quibus collectis nonne illud quidem sequitur, *ut docto* et *erudito viro vivere sit cogitare?* [5]) *quod est quasi quidam humanitatis cibus* [6]) *et suavissimus pastus animorum*, [7]) cum nihil sit veritatis luce animo dulcius. [8])

At *sapientiam adhuc mortalis nemo est consecutus:* [9]) in summis malis omnes sumus, quibus optime consultum a Diis immortalibus philosophi dicunt, [10]) et *praeclare jam nobiscum agi putamus, si, verisimile quid sit, invenerimus;* [11]) ultra enim quo progrediamur, quam ut veri similia videamus, homunculi non habemus. [12]) Neque vero tam delectamur aliquid discentes, quam angimur multo plura ac majora, quae scire vellemus, penitus ignorantes; [13]) quin etiam omnibus veris falsa quaedam adjuncta sunt tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa judicandi et assentiendi nota. [14]) Nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quae patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretisque corporibus sunt intersaepta quodam modo [1]) neque oculis cernimus ea, quae videmus. Neque est enim ullus sensus in corpore, sed (ut non physici solum docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt) viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatae. Itaque saepe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti apertis atque integris et oculis et auribus nec videmus nec audimus, ut facile intelligi possit, *animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sint animi*, quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat et adsit. [2]) Natura vero docet, quanta sit animi vis sejuncta a corporis sensibus. Ut enim Deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se, quid quisque sentiat: sic animi hominum, quum aut somno soluti vacant corpore aut mente permoti per se ipsi liberi incitati moventur, cernunt ea, quae permixti cum corpore animi videre non possunt. [3]) Quoniam igitur humani animi pars ea, quae sensum, quae motum, quae appetitum habet, non est ab actione corporis sejugata, quae autem pars animi rationis atque intelligentiae est particeps, ea tum maxime viget, quum plurimum abest a societate et a contagione corporis — quod fit in somnis et quum liber est sensibus ac omni impeditione curarum, jacente et mortuo paene corpore: — [4]) *profecto tum, quum nihil erit praeter animum, nulla res objecta impediet, quominus percipiat, quale quidque sit,* [5]) *multoque magis tum vigebit et vivet animus, quum omnino corpore excesserit* [6]) *ejusque plane custodia vinclisque relaxatus erit.* [7]) Ac laetus quidem vir sapiens à Deo evocatus atque emissus ex his tenebris in lucem illam excedet. Tota enim philosophorum vita, ut ait Socrates, commentatio mortis est. Nam quid aliud agimus, quum a voluptate, id est a corpore, quum a re familiari, quae est ministra et famula corporis, quum a re publica, quum a negotio omni sevocamus animum? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus maximeque a corpore abducimus? Secernere

---

[1]) Fin. 5, 19, 50;
[2]) Fin. 5, 21, 57.
[3]) Fin. 5, 29, 87. Tusc. 5, 39, 115.
[4]) Fin. 4, 5, 12.
[5]) Tusc. 5, 38, 111;
[6]) Fin. 5. 19, 54.
[7]) Tusc. 5, 23, 66; Acad. 2, 41.
[8]) Acad. 2, 10; de Rep. 1, 43.
[9]) Lael. 5, 18; 2, 7. Tusc. 2, 22, 51. Nat. Deor. 3, 32, 79. Off. 3, 4, 16. Div. 2, 63 extr.
[10]) Nat. Deor. 3, 32, 79.
[11]) Acad. 2, 41, 128. —
[12]) Tusc. 1, 19. 17; 4, 4, 7; 5, 4, 11; 5, 11, 13.
[13]) Cons. 554. b.
[14]) Nat. Deor. 1, 5, 12.

---

[1]) Tusc. 1, 20, 47.
[2]) Tusc. 1, 20, 46.
[3]) Divin. 1. c. 57.
[4]) Div. 1, 32; 1, 51; 1, 30; 1, 57.
[5]) Tusc. 1. 20, 47.
[6]) Divin. 1. 30.
[7]) Cat. maj. 22, 81; Tusc. 1, 49, 118. Div. 1. 49. Lael. 4, 14.

autem a corpore (animum — nec quidquam aliud — est) mori discere [1]) vereque nostra, quae dicitur vita, mors est nec unquam vivit animus, nisi compage solutus corporis liber aeternitate potiatur. [2]) Etenim corpus e terra concretum tam diu terrestrium rerum amore ducitur, quoad in terram ipsam, unde ortum duxit, revertatur, [3]) animus vero profectus a Deo, quoniam ejus divina bona longe lateque se pandunt coelumque contingunt, [4]) in eum locum, unde discessit, semper optat redire. [5])

Ergo quum has terras incolentes circumfusi sumus caligine, nihil minus, quam verum cognoscimus omniaque tum multo pulchriora et dilucidiora cernentur, quum, quo natura fert, liber animus pervenerit. [6])

Sed non solum ad intelligendum homo natus est, [7]) verum etiam *ad recte agendum,* [8]) *ad mundum (i. e. ad Deum) contemplandum, ut coelestium ordinem contemplans imitaretur eum vitae modo atque constantia.* [9]) Et ita naturâ constituti sumus, ut nihil, nisi quod rectum et aequum sit, laudabile arbitremur nihilque aliud, nisi egregia illa, ex quibus vera gloria nascatur, appetamus. [10]) Ut enim pulchritudo corporis aptâ compositione membrorum movet oculos et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine et constantia et moderatione dictorum omnium atque factorum [11]) et illi, in quo id inesse videtur, nos amicos facit. [12]) Quodsi exempla quaeris, satis multa probant, nos ad honestatem esse natos. [13]) Indicant pueri, in quibus ut in speculis natura cernitur; . . . expressa vero sunt honesta in iis aetatibus, quae jam confirmatae sunt. Quis est tam dissimilis homini, qui non moveatur et offensione turpitudinis, etiamsi eum laesura non sit, et comprobatione honestatis? Quis est, qui non oderit libidinosam, protervam adolescentiam? quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiamsi sua nihil intersit, non tamen diligat? [1]) Quis aequo animo videt eum, quem impure ac flagitiose putet vivere? Quis non odit sordidos, vanos, leves, futiles? [2]) An obliviscimur, quanto opere in audiendo legendoque moveamur, quum pie, quum amice, quum magno animo aliquid factum cognoscimus? Quid, si nemo est, aut unquam fuit aut avaritiâ tam ardenti, aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem illam rem, quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad sese — etiam omni impunitate propositâ — sine facinore, quam illo modo pervenire? [3]) Quid autem dici poterit (si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuemus), quo minus homines tenebras et solitudinem nacti nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se foeditate suâ turpitudo ipsa deterreat? [4]) Quam proprium est animi bene constituti et laetari bonis rebus et dolere malis! [5]) Ut omnium jucundissima est recordatio bene factorum et conscientia bene actae vitae! [6]) Quae denique natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit? quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit? [7]) Tanta est igitur vis probitatis, ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel — quod majus est — in hoste etiam diligamus; [8]) nihil est enim virtute amabilius, nihil, quod magis alliciat ad diligendum. [9]) — Quid vero? infinita quaedam vis virtutis non perspicietur ex eo, quod, si ejus quasi aliquod lumen adspeximus, nihil est, quod, ut eo potiamur, non parati simus et ferre et perpeti? [10]) quod decoris honestatisque causâ non dubitamus

---

[1]) Tusc. 1, 31, 75.
[2]) Cons. 549 b. extr. Somn. Scip. c. 3. Tusc. 1. 31. 75.
[3]) Cons. 568. b.
[4]) Tusc. 5, 27, 76.
[5]) Cons. 571, a.
[6]) Tusc. 1, 20, 46. Cons. 549 b.
[7]) Fin. 2, 13, 40.
[8]) Cons. 568. b.
[9]) Cat. m. 21, 77, Nat. Deor. 2, 14. 37.
[10]) Cons. 574 a. Tusc. 1, 20, 46. fin. 1, 14. 44; 3. 10. 34; 3. 6. 21; 5, 23, 65. legg. 1, 13, 37. Parad. 1. 1. Tusc. 5, 23. 67. fin. 4, c. 17.
[11]) Off. 1, 28. 98; 2, 9, 32 cfr. fin. 5, 22, 61 sqq.
[12]) Off. 1, 17, 55; 3, 3, 15; 2, 10, 36. Lael. 27, 100. legg. 1. 11. 32.
[13]) Off. 3, 8, 35.

---

[1]) Fin. 5. 22, 61 sqq.
[2]) Fin. 3, 11, 38.
[3]) Fin. 3, 9. 36.
[4]) Fin. 3. 11. 38.
[5]) Lael. 13, 48.
[6]) Cat. maj. 3, 9. Cons. 568 b.
[7]) Legg. 1, 11, 32.
[8]) Lael. 9, 39.
[9]) Lael. 8, 38. Off. 1, 17, 55.
[10]) Tusc. 2, 24, 58.

quaevis pericula adire? quod, quorum oculos virtutis splendor occupavit gloriaeque studium animos delenivit, ii nec laborem sentiunt et, si tantus est, ut quando erumpat, eo tamen non magnopere moventur? [1]) quod non modo sine ulla utilitate, sed contra utilitatem, (ut Regulus), etiam conservamus fidem hostique vitam profundimus? [2]) — Itaque quum omnis ista rerum corporearum aestimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur atque intereat: [3]) quis negabit *illud ipsum, quod honestum decorumque dicamus, per se nobis placere animosque omnium natura et specie sua commovere?* [4]) quis non intelligat, et eos, (qui labores, pericula adierint, famem, vigilias, cruciatus pertulerint), *dignitatis splendore ductos* immemores fuisse utilitatum suarum nosque, quum ea laudemus, nulla alia re, nisi honestate duci? [5]) —

Quibus rebus expositis concluditur profecto, esse *aliquid naturâ pulchrum atque praeclarum, quod sua sponte petatur quodque spreta et contempta voluptate optimus quisque sequatur* [6]) *nihilque habere naturam praestantius, nihil, quod magis expetat, quam honestum, quam laudem, quam dignitatem, quam decus?* Hisce ego pluribus nominibus unam rem declarare volo, sed utar, ut quam maxime significem, pluribus; volo autem dicere, illud homini longe optimum esse, quod ipsum sit optandum per se, a virtute profectum vel in ipsa virtute situm, sua sponte laudabile, *quod quidem citius dixerim solum, quam non summum bonum.* [7]) Etenim quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae libidines incitant, nullae futiles laetitiae exsultantes languidis liquefaciunt voluptatibus: *quid est, cur ii non beati sint?* [8]) — quum nihil appetant, nulla re egeant, nihil sibi deesse sentiant, nihil requirant? [9]) Et si haec *virtute* efficiuntur, quid est, cur *virtus ipsa per se non efficiat beatos?* [10])

At vero tantum abest, ut germanae virtutis solidam et expressam effigiem teneamus, ut umbra et imagine utamur [1]) *et praeclare jam agatur, si sint simulacra virtutis et similitudines honesti.* [2]) Quodsi ipsam honestatem undique perfectam et absolutam, rem unam praeclarissimam omnium, penitus videremus, quonam gaudio compleremur, cum tantopere ejus adumbrata opinione laetemur! [3]) Sed enim voluptate luxuque delenita hominum consuetudo de recta majorum vita deflexit eoque sensim delata est, ut nihil minus, quam verum agnoscat nec, cum aliquid agitur, rectum id necne sit, magnopere cogitet. [4]) Iam vero libidines infinita quaedam cogunt atque imperant, quae quia nec expleri nec satiari ullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, quos illecebris suis incenderunt. [5]) Nec aliam sane ob causam perturbari omnem vitam errore inscitiaque videmus, nisi quod, quae in hominis vita praecipua esse deberent, pietas erga Deos, in homines beneficentia, virtus in ingeniis ac moribus, ea fere omnia negliguntur eademque ratione, quae maxime vitare deberemus, ea studiose expetimus caecoque impetu ferimur ad illa, quibus vita nostra plane fera atque immanis efficitur. Ex hoc fonte cupiditates insatiabiles exoriuntur, quibus non modo singulos homines, sed totas familias et universas funditus eversas civitates videmus, praeterea seditiones, insidiae, discordiae rerumque et hominum clades et interitus; ex his etiam dolores emanant, quibus perturbari vitam neque solum insuavem, sed acerbissimam effici necesse est. [6]) — Quid tandem dicam de multis aliis, quibus undique vita humana premitur, difficultatibus! Quantum viris optimis fides, integritas, constantia peperit miseriae! Quoties probitas, in patriam caritas calamitatis causam attulit, exilium, bonorum direptionem, liberorum sive moestitiam sive aerumnam! Miltiades, Cimon, Themistocles, Aristides, Scipio Africanus, Metellus Numidicus, M. Regulus, C. Marius,

---

[1]) Consol. 577 a.
[2]) Fin. 2, c. 22.
[3]) Fin. 3, 14, 45; Off. 3, 11, 47.
[4]) Off. 2, 9. 32.
[5]) Fin. 5, 22, 64.
[6]) Cat. maj. 13, 43.
[7]) Tusc. 2, 20, 47.
[8]) Tusc. 5, 8, 16; 17. Cons. 575 b.
[9]) Parad. 6, 3.
[10]) Tusc. 5, 6, 16; 17.

---

[1]) Off. 3, 17, 69.
[2]) Off. 1, 15, 46; 3, 3, 13; Lael. 6, 21; ad fam. 4, 14, 2; Lael. 5, 18; Fin. 1, 13, 43.
[3]) Fin. 5, 24, 69. Off. 1, 5, 14.
[4]) Cons. 566 b; off. 3, 17, 69.
[5]) De republ. 6, 1. Parad. 1, 2; Fin. 1, 13, 43; fin. 2, 9, 27; Cons. 575 a.
[6]) Cons. 575 a extr. Cat. maj. 12, 39, Fin. 1, 13, 44. fin. 1, 18, 59 sq. Tusc. 5, 6, 15; 5, 20, 60; 3, 2, 4; 5, 25, 45. Cons. 556 a.

L. Brutus aliique permulti optimi et fortissimi viri incredibiles hauserunt calamitates immerentes; quod contra oportebat, viros optimos patriaeque amantissimos honore affici, in oculis ferri. [1]) — Itaque *quamdiu hac luce utimur, vivere quidem videmur, sed verius assidue morimur aut saltem vitam verbo retinemus, re ipsa amisimus.* Equidem non video, quid in hominis vita valde optandum aut felix esse possit; [2]) mihi enim non videbatur quisquam esse beatus posse, quum in malis esset; [3]) libido autem nunquam finem inveniet: [4]) itaque quum *corporis facibus* inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates eoque magis incendi, quod iis aemulemur, qui ea habeant, quae nos habere cupiamus: *profecto beati erimus, quum corporibus relictis et cupiditatum et aemulationum erimus expertes.* [5]) Quanto vero gaudio exsultare credendus est illorum animus, qui corporis admixtione solutus in coelestes ignes sempiternasque domos, unde exierat, revertit! profecto enim ex divina mente delibatos habemus animos, qui hac mole inclusi tanquam terrae gravitate sic ipsi nimis pondere corporis opprimuntur; *ubi autem soluti corporibus ad proprias sedes evolaverunt, tum vere vivunt nec libidini, voluptati, dolori serviunt, sed sui compotes nulla re anguntur, nihil requirunt, omnibus imperant,* [6]) *quiete et voluptate perpetua delectationeque perfruuntur.* [7]) Et illa quanti sunt, gravissimis vitae laboribus liberari, in mediis doloribus et aerumnis obdormiscere et quasi emissos e molestissima vitae custodia in jucundissimam suavissimamque domum remigrare! [8]) Quae cum ita sint, mortem in malis nullo modo esse ponendam, sed in praecipuis bonis numerandam, dubitaturum puto neminem; si enim a miseriis abstrahit, si in meliorem vitam inducit, si neque misera ipsa est nec ullius particeps miseriae, cur mala censeatur? sin hoc largitur, ut sempiternis bonis potiamur vitamque, quam mortalem habuimus, aeternam adipiscamur, quid morte beatius esse possit? [1]) Quodsi vero id, quod verum, simplex sincerumque sit, naturae animi est aptissimum; [2]) quodsi hominis mens discendo alitur et cogitando, semper aliquid aut anquirit aut agit videndique et audiendi delectatione ducitur, [3]) quin etiam si quid verisimile videatur, humanissima voluptate completur; [4]) quodsi igitur omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem: [5]) hoc quoque mors gratior est, quod nos a multis erroribus abstrahit, quibus, quoad vivimus, in tanta opinionum varietate assiduaque veri inquisitione perturbari saepe solemus, et ad ipsam cernendam fruendamque veritatem jucunde adducit; quo nihil beatius homini contingere satis, ut opinor, ex eo suspicari possumus, quod innata est homini cupiditas scientiae, ejus autem praestantia non sane video, qua alia in re, nisi in perfecta veritatis cognitione posita sit; ex quo fit, ut veritatis cognitionem assequuti perfecta absolutaque scientia potiamur, vereque dici potest, qui veritatem intueatur sensuque percipiat, eum voti sui compotem vereque beatum esse. [6]) *Quoniam igitur animus sempiternum quiddam et coeleste appetit nec iisdem, quibus corpus, finibus cogitationes coërcet suas, nunquam quiescere nec vere vivere putandus est, quamdiu corpore conclusus invitus propemodum mortali labe terrenisque vinculis continetur.* [7])

Iam nunc, antequam ad ea, quae consequentia sint, accedamus, colligemus, quae dicta sunt. — Tot vexatus calamitatibus tantisque miseriis circumclusus hominis animus quid egregium aut eximium suscipere aut cogitare potest? mirum, ni sese abjiciat ac veluti desperatione perculsus humi jaceat. Redeo igitur ad illud, quod antea dixi, neminem esse, qui spiritum ducat, non miserum, neminem vere felicem, parumque sapiunt ii, qui hominem, luendorum scelerum causâ natum, felicem aut beatum audent nominare. [8]) Nam

---

[1]) Cons. 555 a; Cons. 550 a. cfr. legg. 2, 17, 43; Nat. Deor. 3, 32, 79 sqq.
[2]) Cons. 555 b.
[3]) Tusc. 5, 8, 22;
[4]) Tusc. 5, 7, 20.
[5]) Tusc. 1, 19, 44.
[6]) Cons. 568. b.
[7]) Cons. 569 a et 568 a extr.
[8]) Cons. 567 a.

---

[1]) Cons. 572 b.
[2]) Off. 1, 4, 13.
[3]) Off. 1, 30, 105.
[4]) Acad. 2, 41, 127. Parad. 4, 1. init;
[5]) Off. 1, 6, 16; fin. 2. 16. 52.
[6]) Cons. 572 b.
[7]) Cons. 568 b extr. Cat. maj. 21. 77 sqq.
[8]) Cons. 549 b.

dum sumus inclusi in his compagibus corporis, munere quodam necessitatis et gravi opere perfungimur; est enim animus coelestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinae naturae aeternitatique contrarium. [1]) Sequitur, ut animo *aeterna coeli sedes quaerenda eaque sit propria ejus patria* [2]) *nec unquam victurus sit, nisi omni admixtione corporis liberatus, integer ac purus ex hac terra,* quam non habitandi locum, sed commorandi deversorium natura nobis concessit, [3]) tamquam ex hospitio miseriarum atque incommodorum plenissimo *egressus* [4]) *et in illud animorum divinum domicilium coetumque profectus* [5]) *remigravit in patriam sui propriam.* [6]) Quod quidem natura ipsa tacita satis declarat, mali nihil esse in morte; boni autem tantum ex ea ad homines permanare, quantum sperare multi possint, cogitatione quidem assequatur nemo; divinitus hoc enim hominibus datum est, ut, quoties molesti aliquid experiantur, tum mortem exoptent ac votis etiam conceptis saepe explorent. Quid ita? quia bonam utilemque esse mortem coguntur agnoscere, malam autem aut acerbam esse nunquam prope, homini a natura insitum est; itaque dolore perculsi mortem imploramus eamque unam ut miseriarum malorumque terminum exoptamus. [7])

Et adhuc quidem *ex auctoritate omnis antiquitatis, deinde e sepulcrorum religione et caeremoniis, tum e consensu populorum omnium, denique ex eo, quod in omnium mentibus inhaeret cura eorum, quae post mortem futura sint, et innata est gloriae et honorum cupiditas, conclusimus immortalitatis opinionem homini insitam esse; quibus expositis ex animi natura ejusque facultatibus constituimus, animum divinam vim habere ob eamque rem non simul cum corpore interire posse; postremo ex incredibili beate vivendi et veritatis perfectae absolutaeque cognoscendae cupiditate nec non ex eo, quod ad virtutem honestatemque nati sumus, — argumentati sumus, quoniam in his opinionum varietatibus et miseriis libere honesteque vivere non possimus, locus sit necesse esse, quo profecti vere semperque beati futuri simus.*

Restat, ut duas rationes subjungamus, quibus animi immortalitas conficiatur; sunt autem *Deorum providentia, benignitas atque justitia et hominum conscientia in ipso agone mortis,* qua quidem appropinquante animus multo est divinior [1]) et mors tum aequissimo fidentique animo oppetitur, quum suis se laudibus vita occidens consolari potest; [2]) quod contra accidit iis, qui intemperanter, flagitiose, nefarie vixerunt; istos enim peccatorum suorum tum maxime poenitet [3]) et varii cruciatus angunt. Quare dubitari non potest, quin tales homines non mors, sed admissorum scelerum conscientia vexet habeatque sollicitos; qui enim se morituros nunquam crediderint ac ne cogitarint quidem, cum ad ipsam mortem pervenerint, anguntur non dolore moriendi, sed quod e vita inviti discedunt, in qua cum omnia secunda feliciaque experirentur, ne secus mortuis accidat, valde vereri ac dubitare coguntur. [4]) An censemus, si una cum corporibus animi interirent, aut sapientissimos homines tam aequo animo mori posse, aut tam iniquo planeque invito stultos et fatuos? [5]) Socratem ferunt morti proximum de suorum immortalitate beataque vita, quae mortem consequitur, disputavisse itaque laeto atque libenti animo letale illud poculum hausisse, quasi non ad mortem, sed ad regnum atque imperium vocaretur. At vero, quorum animus in terra defixus haeret, qui nihil nisi mortale terrenumque cogitant, eos plane repugnantes e vita discedere videmus; *nec immerito, cum animorum aeternitatem propius jam intuentes crucientur mirum in modum, quasi flagitiose actam vitam poena etiam sit immortalis consequutura.* [6])

Iam vero, ut rem ad finem deducamus, de *Deorum naturaeque providentia et benignitate plane desperandum* esset, nisi mortem animi sequeretur immortalitas. [7]) Sed tantum abest, ut Deus mentes

---

[1]) Cat. maj. 21, 77.
[2]) Cons. 571 a; Cat. maj. 22, 80.
[3]) Cons. 552 a. Cat. maj. 23, 84.
[4]) Cons. 552 a.
[5]) Cat. maj. 23, 84.
[6]) Cons. 552 a; Tusc. 1, 22, 51; 1, 11, 24; 1, 30, 72; 1, 49, 118. Cat. maj. 23, 83.
[7]) Cons. 568 a et 554 b.

[1]) Divin. 1, 30;
[2]) Tusc. 1, 45, 109; 110; Cons. 567 b, Cat. maj. 83, 84. Parad. 2, 1.
[3]) Divin. 1, 30.
[4]) Cons. 567 a et b.
[5]) Quod e Stoicorum sententia idem valet atque „malos et improbos“
[6]) Cons. 571 b et 551 a.
[7]) Cfr. Cons. 552 b; Nat. Deor. 3, §§. 69–93.

mortalium falsis et mendacibus visis concitet, [1]) ut nihil tam contrarium sit rationi et constantiae, quam fortuna, ita, ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu, quid fortuito futurum sit.... Nihil enim fieri potest, nihil accidere, nihil evenire, nisi quod ab omni aeternitate certum fuerit, esse futurum rato tempore. [2]) Atqui hominum causâ mundus, quod ratione utuntur et ipsis solum, quae in eo sunt, omnia nota sunt, constitutus est: [3]) quamobrem nec cuiquam bono mali quidquam evenire potest, nec vivo nec mortuo, nec unquam ejus res a Diis immortalibus negligentur. [4]) *Quodsi igitur neminem, quem Dii dilexerint, patiuntur esse miserum, vitam eis miseriarum plenam adimant necesse est;* [5]) mala vero ut vitentur, ad aeterna properandum est, quo nisi confugias, vitari nunquam possunt; at ad aeterna ne properari quidem potest, nisi morte janitore ac duce: sequitur, ut non modo bona sit mors, sed etiam summorum atque immortalium bonorum liberalis ac benefica ministra. [6]) Itaque eam in beneficii loco tributam a Diis immortalibus iis, quos maxime dilexerunt, traditum est. [7]) Qui enim nascentium curas suscipiunt, qui viventes protegunt, alunt, tuentur, fovent, cur morientes deserant? [8]) *Enimvero non temere nec fortuito sati et creati sumus; sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano nec id gigneret aut aleret, quod, cum exanclavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum.* Portum potius paratum nobis et perfugium putemus! [9])

Habes epilogum, ne quid praetermissum aut relictum sit. —

At vero non omnibus idem cursus in coelum patet [10]) neque eadem merentur boni, qui multis exanclatis laboribus vitam in medio dolore amiserunt et improbi, quorum in patrandis flagitiis semper est animus cogitatioque defixa. [1]) Nam eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt earumque se quasi ministros praestiterunt impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, Deorum et hominum jura violaverunt: corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur nec hunc in locum, nisi multis exagitati saeculis, revertuntur. [2]) Iis contra, qui recte vixerunt, mors ad aliam multo feliciorem vitam dux optima solet exsistere; quicunque enim convenienter naturae vixerint nec illam secuti sint malae consuetudinis corruptelam, quae divinitus datos igniculos exstinguit vitiaque gignit et confirmat omnia, eos et viventes gloriâ et e vita excedentes praemiis prosequi oportet. [3]) Et perpetuo coluit honore antiquitas e vita egressos eo studiosius ac libentius, si quos intellexit cum Deorum cultu exercitationem virtutis et praecipuam in mortales beneficentiam conjunxisse. [4]) *Neque aliter ratio cogit;* tantae enim tamque praeclarae virtuti quem alium vere congruentem locum, nisi concessum conciliumque coelestium tribuere oporteat, non sane reperies; quis est autem tam demens, ut, quos innocentia, liberalitate et singulari quadam ac praecipua virtute Diis proximos intelligat, iis sejunctum a Diis tribuendum locum censeat? et cum hominis animus terrena respuat, ad supera semper feratur: qui non solum tacito naturae impulsu, sed voluntate reque ipsa, ut quam maxime coelestibus similes essent, praestiterunt, eos licebitne coelo esse privatos? Mihi vero eo justius in coelo collocati esse videntur, quo clarior eorum inter homines vel eluxit liberalitas, vel virtus nituit. Itaque tam egregiis eximiisque factis non infixas plumbo statuas, non arescentes triumphorum coronas satis diuturna persolvere posse praemia judicatum est, *sed florentiora stabilioraque munera quaesita sunt*, quibus ornarentur ii, qui virtutem, honestatem, gloriam otio, libidini, voluptati, vitae denique praetulissent. [5]) Optimis igitur curis agitatus et exercitatus animus velocius in illam aeternam sedem et domum suam pervolabit. [6])

Idque non solum rationi consentaneum atque verissimum est, quod tantus tot saeculorum doctissi-

---

[1]) Divin. 2, 62.
[2]) Divin. 2, c. 7.
[3]) Nat. Deor. 2, 61, 154; 2, 53, 133; 2, 62, 155.
[4]) Tusc. 1, 41, 99; 1, 49, 118.
[5]) Cons. 554 b.
[6]) Cons. 554 a.
[7]) Cons. 550 a.
[8]) Cons. 551 a; 552 b.
[9]) Tusc. 1, 49, 118.
[10]) Cons. 576 b.

---

[1]) Cons. 569 a et 576 b.
[2]) Somn. Scip. c. 9. Tusc. 1, 31, 75. Tim. c. 12.
[3]) Cons. 572 a.
[4]) Cons. 575 a.
[5]) Cons. 576 a et b.
[6]) Somn. Scip. c. 9.

morumque consensus veritatis vox ipsa esse videtur, [1]) sed etiam *aequissimum est; cui autem aequitatis antiquior cura, quam Deo?* [2]) Nam adversus injustitiam atque impietatem tantum est odium, tanta invidia, ut ne ipsum quidem coelum aut sidera, etiamsi homines velint, hujus modi scelera pati ac dissimulare possint; ac si sera Deorum vindicta est, noluerunt tamen impios ipso in facinore adeo exsultare, ut non angore conscientiae fraudisque cruciatu, tamquam domesticis furiis assidue vexentur. [3]) Quare si qui satis sibi contra hominum conscientiam saepti esse et muniti videntur, Deorum tamen numina horrent easque ipsas sollicitudines . . a Diis immortalibus supplicii causâ importari putant. [4]) *Scelerum enim in homines atque impietatem nulla expiatio est* [5]) tamque id rationi consentaneum et aequum est, quam illud Deorum maximeque probandum, non easdem improbis sedes, quas bonis atque integris, post mortem esse propositas; intellexerunt enim ex majoribus nostris complures, qui sapientiâ praestiterunt, cum in Diis aequitas praecipue vigeat, eaque in eorum gubernatione appareat maxime, fieri non posse, quin nequitiam sceleraque aversentur, quique ea in vita exercuerunt, eos a se ipsis longissime sejungant. Quod in vulgus edi verumque existimari non modo rationi conveniens, sed utile quoque in primis est futurum. Nam si quid religionis inerit, certe ob hanc potissimum causam se a flagitiis ac facinoribus abstinebunt, quod impios ac nefarios homines a Deorum concilio ac societate arceri judicabunt. [6]) Ita enim Socrates censebat atque disseruit, duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui humanis vitiis se contaminavissent et se totos libidinibus dedissent, quibus caecati vel domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio Deorum, ubi depressi in tenebras in coeno jacerent; qui autem se integros castosque servavissent quibusque fuisset minima cum corporibus contagio seseque ab iis semper sevocavissent essentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum et praestantibus ingeniis in vita humana divina studia coluissent, casti animi, puri, integri, incorrupti, bonis etiam studiis atque artibus expoliti: his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere eosque leni quodam ac facili lapsu ad Deos, id est, ad naturam sui similem pervolare. [1])

Quodsi exspectando et desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur: pro Dii immortales! quam illud iter jucundum esse debet, *quo confecto nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit!* [2]) Quanta vero suavitas est cogitantibus, vel Deos ipsos, vel cum Diis nos esse futuros! Totum prope coelum nonne genere humano repletum est? [3]) Quid autem optabilius, quam ad eos proficisci, quos mortuos vivens dilexeris, et cum iis perpetua vita perfrui, qui, ut nos in laude viveremus et libenter moreremur, suis et praeceptis et exemplis tantopere laborarunt? Mihi certe nihil videtur evenire posse gratius, quam, si mors aditum ad alia loca patefaciat, ad eos venire et cum iis esse, quos et maxime dilexi et nunquam non diligere ac laudare possum. Ad meos autem et affines et amicos ut pervenero, quantopere laetabor? quae jucundior collocutio? qui suavior vel congressus vel complexus? [4]) Tene, quum ab iis, qui se judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui vere judices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum convenireque eos, qui juste et cum fide vixerint! Haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, ut ea, quae dico, mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem afficerer, quum Palamedem, quum Aiacem, quum alios judicio iniquo circumventos convenirem! Tentarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Trojam, et Ulixi Sisyphique prudentiam nec ob eam rem, quum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. [5]) Noli enim putare, eos no-

---

[1]) Cons. 576 a. 572 a et b.

[2]) Cons. 572 a.

[3]) Cons. 560 a. Off. 3, 21, 84; 85; fin. 2, 28, 93. fin. 1, 16, 53—56; legg. 1, 14, 40; 2, 17, 43; 1, 19, 51.

[4]) Fin. 1, 16, 51.

[5]) Legg. 1, 14, 40.

[6]) Cons. 576 b.

[1]) Tusc. 1, 30, 72 coll. Cons. 576 b et Somn. Scip. c. 5. Tim. c. 12. Lael. 4, 14.

[2]) Tusc. 1, 40, 96.

[3]) Tusc. 1, 12, 28.

[4]) Cons. 551 a.

[5]) Verba Socratis Tusc. 1, 41, 98.

bis penitus ereptos esse aut prorsus amissos, sed ad praefinitum tempus a nostris oculis nostraque consuetudine semotos; itaque quum ad vitae terminum nos quoque pervenerimus, statim eorum consuetudinem regustabimus et ad suavissimam vel consuetudinem vel convictum redibimus. [1]) Iam vero si nunc aliquid assequi se putant, qui ostium Ponti viderunt et eas angustias, per quas penetravit Argo, aut ii, qui Oceani freta viderunt: *quod tandem spectaculum fore putamus, quum totam terram contueri licebit ejusque quum situm, formam, circumscriptionem, tum et habitabiles regiones et rursum omni cultu propter vim frigoris aut caloris vacantes?* [2]) *quodque nunc facimus, quum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus et visere, id multo tum faciemus liberius totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus propterea, quod et naturâ inest in mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi et orae ipsae locorum illorum, quo pervenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum coelestium, eo majorem cognoscendi cupiditatem dabunt.* [3])

O vitam vere vitalem, omnibus bonis et gaudiis circumfluentem! [4]) *Quam quum cogitamus, tum demum Dei justitia perspicitur.* Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate: quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest! [5]) Vide, quam mors sit terribilis iis, quorum cum vita omnia exstinquuntur, non iis, quorum laus emori non potest; exilium autem illis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus, non iis, qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt. Te miseriae, te aerumnae premunt, qui te beatum, qui florentem putas; tuae libidines te torquent, tu dies noctesque cruciaris, cui nec sat est, quod est, et id ipsum ne non sit diuturnum, times; te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimant judiciorum atque legum: quocunque adspexisti, ut furiae, sic tuae tibi occurrunt injuriae, quae te respirare non sinunt. Quamobrem ut improbo et stulto et inerti nemini bene esse potest, sic bonus vir et fortis et sapiens miser esse non potest. [1]) Iam quum bonis in desiderio et luctu mors sit consolatio maxima [2]) et spes futurae ac propinquae gloriae: [3]) cernes profecto, permultos optimos et fortissimos cives hausisse illos quidem incredibiles calamitates, sed immerentes; ergo non esse eas in miseriis ponendas; *nihil enim miserum, quod non culpâ contractum* [4]) — quae sola homini maxime fugienda vitandaque est — [5]), culpam autem nullam esse, quum id, quod ab homine non potuerit praestari, evenerit. — [6]) Accedit, ut *non recte existimemus, quae poena divina sint*, et opinionibus vulgi rapiamur in errorem nec vera cernamus. Morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offensione judicii hominum miserias ponderamus, quae fateor humana esse, et multis bonis viris accidisse; *sceleris autem poena tristis est* et praeter eos eventus, qui sequuntur, *per se ipsa maxima. Crimini autem duplex est poena divina, quae constat et ex vexandis vivorum animis et ea fama mortuorum, ut eorum exitium et judicio vivorum et gaudio comprobetur.* [7]) Quid ergo? eos, qui singulis vitiis excellunt aut etiam pluribus, propter damna aut detrimenta aut cruciatus aliquos miseros esse dicimus, an propter vim turpitudinemque vitiorum? [8]) Itaque poenas luunt non tam judiciis (quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt; ut sint tamen, persaepe falsa sunt), sed *ut eos agitent insectenturque furiae non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu.* [9]) At contra tantum excellet illud, quod rectum, quod decorum appellamus, quod idem interdum virtutis nomine amplectimur, ut omnia praeterea, quae bona corporis et fortunae putantur, *perexigua et minuta* videantur, ne malum quidem ullum nec, si in unum locum collata

---

[1]) Cons. 552 b. Cat. maj. 23, 85.
[2]) Tusc. 1, 20, 45.
[3]) Tusc. 1, 19, 44.
[4]) Cons. 551 b.
[5]) Somn. Scip. c. 7.

---

[1]) Parad. 2, 1.
[2]) Tusc. 1, 46, 111.
[3]) Cons. 577 a.
[4]) Cons. 550 a.
[5]) Cons. 552 a.
[6]) Tusc. 3. 16, 34.
[7]) Legg. 2, 17, 43 sq. Off. 3, 8, 36.
[8]) Legg. 1, 19, 50.
[9]) Legg. 1, 14, 40.

omnia sint, cum turpitudinis malo comparanda. [1]) Summo dolore optimum atque humanissimum virum Gn. Octavium, M. filium, familiarem meum, confici vidi; nec vero semel nec ad breve tempus, sed et saepe plane et diu. Quos, Dii immortales! ille, cum omnes artus ardere viderentur, cruciatus perferebat! *Nec tamen miser esse, quia summum id malum non erat, tantummodo laboriosus videbatur; at miser, si in vitiosa et flagitiosa vita adflueret voluptatibus.* [2])

Quin etiam Deos singulari quadam providentia hominum in aerumnarum colluvione fluctuantium saluti prospexisse ex eo apparet, quod *philosophiam nobis donarunt et ad beatae vitae oblectationem et ad constantiam levamentumque miseriarum:* [3]) quae medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores, imitatur divina et omnia humana inferiora virtute ducit. [4]) Ac philosophia quidem nos adversus omnes vel temporum vel fortunae vel naturae insidias munivit: quae ita fortis est, ut nullius injuriae impetum extimescat; ita lenis et suavis, ut omnes acerbitates facile mitiget ac molliat; ita demum utilis et fructuosa, ut totam se ad humanas utilitates liberalissime porrigat atque explicet. Nec vero secus debet; quae enim humanarum miseriarum cumulum optime norit et acutissime perspiciat, si *eas patiatur manare longius neque homini moerore confecto consilio praesidioque suo praesto sit: quid illo miserius? quid vitâ nostrâ laboriosius aut tetrius?* aut quid prodesset adspectum a natura ad supera erectum accepisse, ut coelum contemplari, ut Deorum majestatem cogitare, aut a Diis immortalibus mentem et rationem, ut utilia cognoscere, honesta a turpibus secernere, aequa amplecti, ab iniquis abstinere possemus, voce denique ipsa et oratione frui, quae nullis animantibus concessa est quaque caeteris omnibus, quae sub coelo sunt, viventium naturis antecellimus? *Inania haec videri possent, si tam multis ex adverso miseriis oppressa hominis natura neque se ad coelestia erigere nec tantis bonis, quibus majora nulla esse potuerunt, uti posset.* Sed profecto, ut contra serpentium virus pharmacorum genera multa, contra inopiae calamitatem sollertia et industria, contra turpitudinis voluptatem pudor et verecundia, sic contra doloris morsum philosophia nobis data est Deorum immortalium concessu atque munere: quam ut nemo satis pro dignitate laudare queat, sic quam plurimi *mentis tranquillitatem, animi moderationem, in voluptates imperium, in acerba omnia summam quandam vim ac fortitudinem illi uni acceptam referant necesse est.* [1])

Quodsi vitam omnem perturbari videmus errore et inscientiâ sapientiamque esse solam, quae nos a libidinum impetu et formidinum terrore vindicet et ipsius fortunae modice ferre doceat injurias et omnes monstret vias, quae ad quietem et tranquillitatem ferant: [2]) quid per Deos optabilius sapientiâ, quid praestantius, quid homini melius, quid homine dignius? Nam sive oblectatio quaeritur animi requiesque curarum: quae conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt, quod spectet et valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio constantiae virtutisque ducitur, aut haec ars est aut nulla omnino, per quam eas assequamur. [3]) Nam quid profitetur? O Dii boni! *perfecturam se, qui legibus suis paruisset, ut esset contra fortunam semper armatus, ut omnia praesidia haberet in se bene beateque vivendi, ut esset semper denique beatus.* [4]) Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui aeternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo! [5]) Hic est ille moderatus, hic fortis, hic et nascentibus et cadentibus quum reliquis commodis, tum maxime liberis, parebit et obediet praecepto illi veteri; neque enim laetabitur unquam nec moerebit nimis, sed semper in se ipso omnem spem reponet sui. [6]) Quod si

[1]) Tusc. 2, 13, 30 sq. Nat. Deor. 3. 32, 79; Tusc. 5, 17, 51; fin. 5, 30, 92. Off. 3, 5, 26. fin. 2, 28, 93.

[2]) Fin. 2, 28, 93.

[3]) Fin. 5, 19, 53. coll. legg. 1, 22, 58. Academ. 1, 2, 8. Tusc. 1, 26, 64; 2, 5, 13; 3, 3, 6; 5, 1—4.

[4]) Tusc. 2, 4, 11; 2, 6, 16; 3, 3, 6; 4, 26, 57; 5, 3, 7. fin. 2, 12, 37; 3, 7, 25. Cat. maj. 1, 2.

[1]) Cons. 553 a et b.

[2]) Fin. 1, 14, 46.

[3]) Off. 2, 2, 5 et 6.

[4]) Tusc. 5, 7, 19.

[5]) Tusc. 4, 17, 38.

[6]) Tusc. 5, 12, 36. Parad. 2. 1; Parad. 5. 1; Fin. 5. 25. 72; 5, 10, 30; 5, 12, 36; cfr. Tusc. 4, 31, 65; Acad. 2, 12; Tusc. 3, 6, 13; fin. 4, 7, 17.

ita est, ut neque quisquam, nisi bonus vir, et omnes boni beati sint: quid philosophiâ magis colendum aut quid est virtute divinius? [1]

Itaque quamquam est tanta corruptela malae consuetudinis, ut ab ea exstinguantur igniculi a natura dati exoriantur que et confirmentur vitia contraria, [2] tamen *beata vita in nostra potestate est* [3] *et sanabimur, si nos trademus philosophiae curandos, cujus praescripta servantes licet magnifice, graviter animoseque vivere atque etiam simpliciter, fideliter, vere hominum amice.* [4] Ita fit, ut mater omnium bonarum rerum sapientia sit, a cujus amore Graeco verbo philosophia nomen invenit, [5] omnium virtutum princeps, [6] totius hominis custos et procuratrix [7] omniumque, quae bona sunt, parens educatrixque, [8] qua quidem nihil a Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilius hominum vitae datum est. Haec enim una nos cum caeteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus *conjunctamque cum divina mente mens nostra se sentiret,* [9] cujus praecepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, primum aliquid sentiet se habere divinum ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit tantoque munere Deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet et cum se ipse perspexerit totumque tentarit, intelliget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam, quoniam principia rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illustratus *sapientiâ duce bonum virum et ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.* [10]

[1] Fin. 3, 22, 75 sq.; 5, 24, 71; 4, 3, 7. de Rep. 1. 17. Parad. 6, 3.

[2] Legg. 1, 12, 33.

[3] Tusc. 5, 28, 82; 4, 31, 65. fin. 4, 7, 17. Tusc. 3, 6, 13.

[4] Off. 1, 26, 92.

[5] Legg. 1, 22, 58. Tusc. 5, 3, 7.

[6] Off. 1, 43, 153.

[7] Fin. 4, 7, 17; Tusc. 2, 5, 13.

[8] Legg. 1, 24, 62; Tusc. 5, 2, 6.

[9] Tusc. 5, 24, 69 et 70.

[10] Legg. 1, 22, 58. cfr. legg. 1, c. 7 et 8. Tusc. 1, 22, 53.

Vides miseriarum, quibus humana vita opprimitur, medicinam philosophiam, cujus auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris, omnibusque opibus viribus, ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est. [1] Philosophia igitur, omnium mater artium, quid est aliud, nisi donum et inventum Deorum? Haec nos primum ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudivit eademque ab animo tamquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, media, ultima videremus. [2]

Quae intuentes atque suspicientes quantâ animi tranquillitate humana et terrestria consideramus! Hinc illa cognitio virtutis exsistit, efflorescunt genera partesque virtutum, invenitur quid sit, quod natura spectet extremum in bonis, quid in malis ultimum, quo referenda sint officia, quae degendae aetatis ratio deligenda. Quibus et talibus rebus exquisitis hoc vel maxime efficitur, ut virtus ad beate vivendum sit se ipsâ contenta. [3] Itaque si reditus in coelum patet optimo et justissimo cuique expeditissimus, [4] haec coelestia semper spectato, illa humana contemnito [5] totamque vim bene vivendi, siquidem tantum remanet, quod virtute et recte factis consequutus sis, [6] in animi robore ac magnitudine et in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia et in omni virtute ponito! [7] neque, alte spectare si voles atque hanc sedem et aeternam domum contueri, te sermonibus vulgi dederis nec in praemiis humanis spem posueris rerum tantarum: suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus. [8] Quamobrem meditemur et omnino statuamus, nihil prorsus humanum esse dolendum: non

[1] Tusc. 3, 3, 6; 5, 2, 5.

[2] Tusc. 1, 26, 64; 5, 3, 7; 4. 26. 57; Off. 2, 2, 5; 1. 43. 153.

[3] Tusc. 5, 25, 71; cfr. Tusc. 5, §§. 17, 28. 29. 35. 39. 41—45. 47. 48. 50—52. 67. 72. 82.

[4] Lael. 4, 14.

[5] Somn. Scip. c. 6.

[6] Cat. maj. 19, 69; Lael. 27, 100, fin. 3, 15, 50.

[7] Tusc. 1, 40, 95.

[8] Somn. Scip. c. 7.

mortem, quam jam optimam esse cognovimus, non egestatem, quae saepissime maximi boni causâ a Diis immortalibus tribuatur, non exilium, cum orbis terrarum omnibus pateat, non caetera generis ejusdem, quae vulgi opinione gravissimis in malis numerantur; *nullum enim tam grave malum apparebit, quin ex eo bonum aliquod multo majus multoque optabilius magno Deorum beneficio aliquando colligatur.* [1] Nam si verum est, quod a Theophrasto alicubi proditum memoriae mandavimus, orbem terrarum theatrum esse quoddam magnum divina mente repletum, in eo autem medio collocatos esse homines a Deo, ut cum fortuna, dolore, morbis, egestate casibusque permultis assidue luctentur, Deum vero ipsum, quantum quisque pugnando valeat quamque viriliter fortitudine divinitus acceptâ utatur, desuper aspectare: hoc, inquam, si verum est, dubitari profecto non potest, quin Dii eos et caros habeant et muneribus prosequantur, qui, si e vita revocentur ipsi vel suos revocari videant, alacres laetique Deo pareant nihilque propterea mali sibi accidisse judicent. [2] Itaque qui Deorum voluntati paruerunt nihilque se, quod ab illis ultro daretur, moleste ferre declaraverunt, . . . qui nihil in se ipsis, sed in voluntate divina se ipsos ac sua ponunt et locant omnia, neminem laedunt, omnes liberalitate, benignitate, caritate amplectuntur, nulla re cruciantur, nihil appetunt, omnium vitiorum fracto impetu cupiditatumque radicibus ex animo penitus evulsis, [3] qui denique in corporibus humanis vitam imitati sunt Deorum: [4] eos divinis honoribus jure dignos majores nostri censuerunt eosque cum Diis immortalibus aevum agere sapientissimus poëta non immerito cecinit. [5] Quae cum ita sint, omnis futuri post mortem temporis cura Diis relinquenda est, quorum nos vel liberalitati vel sapientiae permittere fas piumque est. [6] — Quodsi igitur mors assiduâ sui memoriâ nos, ut meliores simus, admonet nec patitur ad ea nos animum adjungere, quae aliquam nomini nostro vel intemperantiae vel injustitiae notam possint inurere: [1] animum, quoniam natura usuram vitae nobis dedit tamquam pecuniae, [2] in optimis rebus exerceamus [3] eoque simus animo, ut diem obitus faustum nobis putemus. [4]

[1] Cons. 560 a.
[2] Cons. 563 a et b.
[3] Cons. 575 a et b.
[4] Tusc. 1, 30, 72.
[5] Cons. 575 b.
[6] Cons. 551 a.

De animi immortalitate habes, quae dici possint; quae etiam atque etiam considera, et dubitabis, quin Deus generi humano consulat, quin justissimus sit? Cernes vero virtutis aestimationem omnium maximam esse [5] ejusque amplitudinem ac vim tantam, ut Critolaus, quum in alteram librae lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa, tantum propendere illam lancem putet, ut terram et maria deprimat, [6] cernesque, ubi virtus sit resque magnae, sumendae laudabilesque virtute gestae, *ibi esse miseriam et aerumnas non posse, tantum laborem posse et molestiam.* [7]

Quae cum ita sint, quis non intelligat, quum Deorum immortalium vi et natura, ratione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud verbum, quo planius significem, quod volo, natura omnis regatur: [8] hominum vitae singulari bonitate et beneficentia [9] consuli et provideri? [10] Tantum igitur abest, *ut temere ac fortuito sati et creati simus* [11] *et nostrae res a Diis negligantur,* [12] *ut diligant nos benefici generique hominum amici* [13] *neque universo generi hominum solum, sed etiam singulis, qui ubique sint, quacunque in ora ac parte terrarum et cui-*

[1] Cons. 554 a; 569 a.
[2] Cons. 552 a.
[3] Somn. Scip. c. 9.
[4] Tusc. 1, 49, 118.
[5] Fin. 3, 13, 43.
[6] Tusc. 5, 17, 51. fin. 5, 30, 92; coll. 3, 13, 43. off. 3, 3, 11; 3, 5, 26. Tusc. 2, 13, 30. Cons. 550 a et 551 b. Nat. Deor. 3, 32, 79.
[7] Fin. 5, 32, 95. Parad. 2, 1.
[8] Legg. 1, 7, 21. fin. 3, 22, 73 sq.
[9] Nat. Deor. 1, 43, 121.
[10] Nat. Deor. 1, 2, 4.
[11] Tusc. 1, 49, 118.
[12] Tusc. 1, 41, 99.
[13] Div. 1, 38.

que aetati [1]) *a Diis immortalibus consuli et provideri soleat,* [2]) *praesertim quum bona ratione utantur?* [3]) Neque aliter habere potest, animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus Hominem, *praeclara quadam conditione* generatum esse a summo Deo; [4]) solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis, cum caetera sint omnia expertia. Quid est autem ratione divinius? quae cum adolevit atque perfecta est, nominatur rite Sapientia. [5]) Ex quo vere vel agnatio nobis cum coelestibus vel genus vel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nullum est animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei; [6]) *ergo cum homo solus ex omni propemodum genere nactus sit aliquam notitiam Dei,* nisi vitae iniquitate Deo iniquus atque invisus evaserit, *ad Deum certe evolabit, idque aeternitatis humanae vel maximum ac firmissimum argumentum est, solum hominem divinae voluntatis participem consciumque exsistere,* ut, quamquam agrestibus silvestribusque in locis natus sit, tamen ipsa docente natura et esse Deum et colendum ac verendum esse, dubitare non possit.

[1]) Cat. maj. 2, 5; 10, 33.
[2]) Nat. Deor. 2, 65, 164—167; 2, 30, 76 sqq; 2, 53, 134. Div. 1, 51; 52; 58; legg. 1, 7, 21; Tusc. 1, 41, 99.
[3]) Nat. Deor. 3, 27, 69 sqq.
[4]) Legg. 1, 7, 22.
[5]) Legg. 1, 7, 22.
[6]) Legg. 1, 8, 24.

O rem dignam, in qua non modo homines, sed ipsas etiam pecudes obstupescere ac si fieri possit, etiam erubescere oporteat! cognatum esse hominem Deo, nullum aliud in terris animal, nisi hominem solum, Dei cognitione imbutum esse nec quidquam esse aliud, quod animo e divina mente hausto praeditum sit, tantamque inesse homini caecitatem atque socordiam, ut divinae cognationis immemor aversetur migrationem ad Deum! Nec enim aliud esse mors, quam migratio ad coelestes superasque sedes existimanda est, nec id solum ratione quadam *aequitati veritatique consensaneâ, sed etiam sapientissimorum hominum maxime firmo stabilique consensu.* [1]) —

[1]) Cons. 572 a.